

EPISTOLA

Amici ad Amicum.

De Zelo Sacrosanctæ Fidei Romano-Catholicæ in Polonia.

POst indictum per Serenissimum Nostrum REGEM & Dominum, Annô proximè elapso Generalem Regni Conventum, Literas tuas acceperam, ex quibus à Catholica Religione Dissidentes, pro libero Sectarum suarum exercitio, atq; pro admissione ad Senatorias & Equestris Ordinis Dignitates, summo conatu apud Rempublicam instituros abundè intellexi. Obstupui primùm ad tàm inexpectatum Nuntium, quòd in Regno nonnisi tolerati, ad ea adspirare præsumerent, quæ sunt supra eorum sortem & conditionem Legibûs Patriis circumscriptam, demùm summopere indolui, postquam eos exterorum Principum favores, immò fortassis & brachium, ad exequenda sua molimina quæsîsse, immò & invenisse subsequenter nuntiâsti. Nunquam tamen de integritate Catholicæ Religionis in Regno dominantis desperatum iri credidi, observante mihi in oculis Serenissimo REGE piò justo, ac super omnia Orthodoxo, qui cum ad Regnum assumeretur Catholicæ Ecclesiæ Filius, Sanctam & illibatam Fidem tuendam ac manutenendam solemnî juramentô promisit. Videre mihi in Eo videor, revixisse primos Fidei in Polonia Plantatores MIECISLAOS, Propagatores & Propugnatores, BOLESLAOS CHROBRIOS, VLADISLAOS JAGELLONES, CASIMIROS, & quotquot olim fuerunt; murum se pro Domino DEO Exercituum opponentes Principes, & suum sangvinem contra tot Gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, non aliô quàm ampliandæ & dilatandæ Religionis Catholicæ studiô prodigentes, quis est, qui tàm sub Optimo & Magnanimo REGE periclitari posse Sacrosanctam Fidem pertimescat? Erigit nutantes animos eti-



am Amplissimus ille Patrum Conscriptorum Senatus, ille Nobilissimus Eqvestris Ordo, à prisca Majorum virtute & pietate non degener, uterq; pro Fide & Religione vitæ & fortunarum prodigus, uno tempore legum & libertatum suarum ac Jurium Ecclesiæ conservandorum Vindex acerrimus. Maximum autem ad retundendos heterodoxorum impetus robur, intrepidum Episcoporum Regni pectus sese offert, quorum tibi Pastoralis adversùs scabiosum heterodoxorum pecus; vigilantia, contra simulatas *habitu oves, actu & crudelitate lupos* (a) sedulitas, nota & perspecta est. Nec me mea hæc fefellit opinio. Postquam enim eas Literas Pastorales ad Clerum & Populum suarum respectivè Dioecesum, ad implorandam Divinam Congregatis Regni Statibus opem & recta Consilia, ad confutandos hæreticorum ausus & arrogantes spiritus; auxilia, animantes, direxisse audivimus, laudavimus Divinam Providentiam, quæ nunquam Ecclesiæ suæ deest, quòd novissimo etiam hoc tempore prospexit Speculatores Domûs Israel (b) contra sylvestres apros, Vineam Domini depopulari tentantes (c) Custodes Vigiles, contra inimicos homines superseminare zizania volentes, agricolas attentos, contra fures effodere domum Dei conantes, Patresfamilias pernoctes.

Quàm boni omnes optabant, ut vel unum saltim ejusmodi Literarum exemplar, ad Urbem hanc perveniret, ut nostrorum Episcoporũ pro Fide Zelũ de immortalis memoriæ Cardinali Hosio Varmiensi, & Stanislao Karnkovio Vladislaviensi Episcopis, maximis sub SIGISMUNDO AUGUSTO Religionis Catholicæ Propugnatoribus & Vindicibus acceptùm, & conservatum legendo cernerent, admirarentur, laudarent.

Incusabant Nostram, Nostrorum immò & suorum, qui cum Polonis literarum tenent commerciũ; oscitantiam, quòd in tam gravi Religionis negotio, vel silerent penitùs, vel sterterent

negligentiùs

(a) *Bernard. in Cant. n. 66. in princ.* (b) *Ezech. 3.* (c) *Psal. 79.*

neglientùs, satisfactum porro Publico fuit, licèt pro expectantium voto & desiderio tardiùs, postquam Principis CAJETANI SOŁTYK Episcopi Cracoviensis Ducis Severiæ, primùm Epistolæ Pastoralis, tandem seriùs Orationis ad Regem & Rempublicā in Conventu Regni Generali, ex tribus Statibus Congregato, super negotio vertente, habitæ, nobis copia; est facta: quas, obsecundando communibus votis; ex idiomate Polonico tùm in Latinum, tùm in Italicum sermonem converti, ac tandem typis imprimendas dari necesse fuit, factumq; est eo successu, ut dum adhuc in prælo essent, expectarentur anxiè, impressæ exciperentur, immò distraherentur avidissimè. Universalem protinus plausum, & adprobationem meruerunt in Foro, in Curia, in Aulis Principum, in Palatiis Prælatorum, in Religiosorum Claustris, in Collegiis Nationum, in eruditorum Consessibus, idem erat, oracula Nostri Præsulis legi; & laudari. Alius Authoris in dicendo constantiam, alius in promovenda Religione Orthodoxa Zelum, alius in defendenda cor magnanimum, & ad durissima pro ea ferenda, intrepidum extollebat. Et hi quidē, quibus Civilis scientia in usu est; gratulabantur Reipublicæ Nostræ, quòd in ea non licet, ut ait Plinius (d) *Curiam elinguem videre, ac dicere, quod velles periculosum, quod nolles, miserum, non est.* Principem verò CAJETANUM modò Aulo Cæsellio comparabant; Cujus tanta fuit in perorando constantia, ut nullius gratiâ, aut authoritate taceret: modò Theodoro, cujus lingvam omnia despicientem, quamq; nullus claudebat periculi metus, commendat Amianus. (e) Verùm minùs apta hæc profanæ Historiæ exempla in comparatione Ejus; Viris Ecclesiasticis videbantur, atq; potiùs suscitâsse sibi Deum Sacerdotem fidelem, (f) in quo priscorum Ecclesiæ Patrum pro Fide & Religione Spiritus revixisset; asserebant.

 Et jure

(d) *apud Maraviglia Prudent Senat. lege 68.* (e) *Ibidem*
(f) *1. Rom. 2. v. 35.*

Et jure quidem optimo, manibûs complosîs acclamabant plurimi, memor enim dicebant Divini illius Oraculi: *Attendite ad Petram unde excisi estis, nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne timeatis*: (g) quidquid obganniebant hæretici, quidquid fautores eorum minabantur, sprevit & flocc habuit, monitum Pauli ad Timotheum ad se, tanquam ad Episcopum pertinere optimè sciens: *insta opportunè & importunè argue, obsecra, increpa.* (h) institit apud congregatos Regni Status, ut Religionem Catholicam à Majoribus suis cum Sangvine traductam conservarent & tuerentur; obsecravit, & importunîs exterorum Principum pro hæreticis precibus & minîs, Dei adjutoriò freti, minimè flecterentur, ipsos verò à Religione dissidentes, quòd ingrati & iniqui, perduelles, contra leges Patrias quæ illis nō nisi Personarū & Bonorū securitatēcautē constituerent, ad liberū & publicum Sectarū suarū exercitiū arroganter adspirarent, ad Regni & Palatinatuum dignitates, jus possessivum præsumptuosè arrogarent, atq; hoc ipso tum internam, tum externā Patriæ pacem degeneres Filii perturbarent; arguit & increpavit.

Hærebat ei videlicet altà mente reposita doctrina Pauli ad Titum (i) *Oportet Episcopum esse amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est; fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt; arguere*, non modo Divinam, Ecclesiasticas & Civiles, ac Municipales Patriæ leges, conatibus hæreticorum obsistere, sed etiam Regum Nostrorum Pacta Conventa, Vicinorum Principum fædera, & pacis Tractatus repugnare, demonstravit. Obsecutus Verbo Domini ad Isaiam dicentis (k) *Clama ne cesses, & quasi tuba exalta vocem tuam*. Opportunè ad interpretationem Augustini (l) *Scitis quòd tuba non tam oblectationis esse solet, quàm terroris; non tam delectationem præferre, quàm inferre formidinem. Tuba itaq; necessaria peccatoribus est, quæ non solùm aures eorum penetret, sed etiam concutiat, nec*

delectet

(g) *Isaiæ 51.* (h) *Cap. 4. v. 2.* (i) *Cap. 1. v. 9.* (k) *Cap. 58.*
(l) *Serm. 1. de tempore.*

delectet cantu, ſed caſtiget auditu: eorum erga Regem & Dominum ſuum infidelitatem, impietatem erga Patriam, in ſacroſanctas leges contumaciam exprobravit. Volve ſi libet ſacrarum literarum monumenta, maximè reperies olim Synagogæ Sacerdoti fuiſſe pœnam mortis inſtitutam, niſi campanularum ſonitu ſeſe patefeciſſet. *Audiatur ſonitus Aaron, quando ingredietur & egredietur ſanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur.* (m) quem textum ita exponit Gregorius (n) *Sacerdos namq; egrediens & ingrediens moritur, ſi de eo ſonitus non audiatur. quia iram in ſe occulti Judicis exigit, ſi ſine prædicationis ſonitu incedit.* Sive ingrederetur Aulam Conſiliorum, Legum ſtatuendarum & manutenendarum Sacrarium, ſive egrederetur, audiſſes heterodoxos, dignitates, miniſteria, honorifica ſubſellia, æquali jure cum Catholicis prætendentes, objurgantem; *quæ conventio Chriſti cum Belial? quæ ſocietas lucis ad tenebras* (o) quæ abſciſſorum à vite palmitum; non cohærentium Capiti & Eccleſiæ Corpori membrorum, cum Orthodoxis communio? *hos tanquam proditores protervos, tumidos & voluptatum magis amantes, quàm Deum, habentes quippe ſpeciem pietatis, virtutem ejus abnegantes* Paulus *ad Timoth.* vitare juſſit. (p) Quis in Senatu Socios? quis publicorum Officiorum Adminiſtros? niſi Acatholicus patiatur! Regni commoda, commerciorum incrementa, artificum copiam, ac alia plura Patriæ emolumenta, ſi illis publicum Sectarum ſuarum permitteretur exercitium, allegabant, *ſomnia* hæc *vigilantium* eſſe aſſeruit, *& ab arboribus autumnalibus & infructuoſis* (q) ſperare fructum imprudentis eſſe repoſuit. *Quid prodeſt homini ? ſi mundum univerſum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur.* (r) Quid Regno? ſi Unitatem Fidei ſcindi, ſi credere quod libet, permittat licere, ſi augeri hæreſim, quā ad vivum depinxit Poeta. (s)

O! Callidarum

(m) *Exod.* 28. (n) *Paſtor. pag.* 2. *cap.* 4. (o) 2. *ad Corinth. Cap.* 6. (p) 2. *ad Timoth.* 3. () *Judas Aplus* (r) *Math.* 16. (s) *Maſſenius Poet. Lyric. lib.* 3.

O! calidarum Seminarium fraudum!
Proter, vafra, fluctuans levis mendax,
Plutônis hæres, ac Proserpinæ partus,
Orciq; cunctîs obstetricibûs diris
Seu Monastici fætus.
Probis ab ortu filia excucullati
Trasonis omne cui vile Sacramentum;
Fidesq; sit homini, Deoq; jurata;
Nil veritatis, lacteiq; candoris,
Nil sanctitatis, optimæq; virtutis,
Nil gaudiorum, nil amabilis pacis,
Concordiæq; possides, furor tota,
Nutrix bellorum ruinaq; Europæ;
Scelerum theatrum, vanitatis Orchestra
Discordiarum scena, gentium clades,
Nostræ quietis execranda tempestas,
Securitatis scopulus, atq; Civilis
Mallea pacis, otiiq; vertigo
Legum Charybdis, naufragaq; virtutis,
Extrema pestis.

Quid inquam fiet Regno? si hæresim augeri, cũ EcclesiæCatholicæ damno, crescere cũ Gentis Nostræ opprobrio, serpere cum fidelis populi periculo, sinat atq; permittat. Fuit ex Pseudopoliticis nõ nemo, qui liberè pro Religione Catholica orantẽ *Episcopũ, mansvetũ & discertũ esse debere* ex Epistola *ad Timotheũ* (t) admonuerit, & quasi ad rẽ esset; Divi Chrysostomi sententiam allegaret, *Memento: quòd et si justa dicas, cũ ira, cuncta perdidisti, sive fiducialiter agas, sive communeas, sive quodlibet geras, Zelus enim veniã carẽs, non Zelus, sed ira potius est, & correctio humani tatem non habens, invidia quædam esse videtur.* (u) at qua mansvetudine? qua lenitate? erga heterodoxos esset, abundè liquet; cum eis pro perduellionis crimine veniam dari, pœnas quas meruerunt; modò in posterum modestiùs

[t] *Cap.* 3. (u) *homil.* 30. *ad popul: Antioch: de ira.*

modestiùs sese gereret, condonari, postulâsse; eum legimus, crimen tamen ipsum ne fovere videretur, nec pati, nec ferre debuit, *Negligere enim cum possis deturbare perversos nihil aliud est quàm fovere, nec scrupulô caret Societatis occultæ, qui manifesto facinori cū potest, desinit obviare.* (v) Erat alius qui nisi parciùs loqueretur, factum cum eo iri, quod Chrysostomo ab Eudoxia accidit, comminabatur, nihil tamen prorsus de fervore remisit. Agebatur non jam de ludis, ut olim in Urbe Constantinopolitana corā Statua Imperatricis faciendis, sed de erigendis & aperiendis hæreticorum per Regnū Synagogis, nō se id unquam permissurū usq; ad extremū spiritum testatur, effossā jaciendis eorū fundamentis humū cum ruina & strage sui corporis se impleturum spondet, ornatum Pontificiâ Tyara caput, pro primo lapide offert, necquidquam cum Chrysostomo metuit: *Vult me Regina exulem? agat in exilium, Domini est terra & plenitudo ejus, & si vult secare? secet, idem passus est Isaias: Si vult in pelagum mittere? Jonæ recordabor, si vult in Caminum injicere? idem passi sunt illi tres pueri, si me vult feris objicere? objiciat, Danielis in lacum abjecti memorabor, si me lapidare vult? lapidet me, Stephanum habeo primum Martyrem Socium, si & caput tollere vult? tollat, habeo Socium Joannem Baptistā, & si substantiam auferre? auferat, nudus exivi ex utero Matris meæ & nudus revertar.*

Ob invictam hujusmodi Animi sui constantiam, & præclara de Religione merita, tantam in hac Urbe gloriam adeptus est, & existimationem, ut ad illius laudem, nihil mihi opus sit de meo adjicere. Siquidem tamen Rychardum Angliæ Regem de S. Hugone Episcopo Liconiensi dictum reliquisse memini, *Si omnes Episcopi tales essent, nihil adversùs eos possent seu Reges seu Principes,* (y) non solùm Regno Nostro, sed Universali Ecclesiæ similes CAJETANO Præsides optare, omniū interest; quicunq; Christianæ Fidei Professione, non nomine tenùs censentur. Optare inquam interest, Si enim Seneca Supremorum Principum, & Rerum-

(v) *Can. 55. Negligere 2. q. 7.* (x) *Epist. 33. ad Cyriac.* (y) *apud Bellug memor. ad Philip. V. Lusitan. Regem n. 228.*

Rerumpublicarum defectum in eo ponit, quod desint Viri, qui veritatem dicant; *Monstrabo Tibi, cujus rei inopiâ laborant magna fastigia, & quid omnia possidentibus deest, unum scilicet; qui verum dicant, dum nemo ex animi sui sententia dicit, aut suadet; sed adulandi certamen, unũ est omniũ officiũ* (z) Utinam Catholici Præsules dum de Religione & Fide agitur, non placendi studiô, non carnis & sangvinis affectu, non spe temporalis lucri, non honorum illecebris, immò nec mortis ipsius oppetendæ formidine dissimulent unquam veritatem, sed S. Caroli Boromæi monitu: *quod Evangeliũ docet, quæ Christus jubet, quod ratio præscribit, quod Ecclesiæ Authoritas Dignitasq; exigit,* (a) loquantur, & non confundantur. Habent in CAJETANO bonorum Operum exemplum, Ejus pietatem eximiam, pro Religione Zelum ardentem, fortitudinem conspicuam admirentur & imitentur. *Tanquam Simon Oniæ filius Sacerdos Magnus in vita sua suffulsit Domum, & in diebus suis corroboravit Templũ. Curavit Gentem suam, liberavit eam à perditione. Ecce quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi Luna plena in diebus suis lucet;* (b) huc animos, huc oculos intendant.

Prolixior fortè Tibi in scribendo videbor, quod si tàmen Amplissima Principis quæ hìc habuit; elogia me contraxisse (ut ingenuè fateor) credes; brevitati potiùs consuluisse, probè intelliges. Vale Dabam Romæ XVII. Kalendas Martii. Annô Domini 1767.

Norindus Chalcedonius
P. A.

(z) *Epist.* 21 (a) *apud Bellug. lib. citt:* n. 237. (b) *Eccl.* 50.



